Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1561
Quelle:
Copyright:

gitur *ibid.* p. 72. *n.* LXIX. *Caput* nostrum CLXXXVI. *de Theophania* legitur T. III. inter *Eruditiones Theologicas* L. I. *Miscell.* p. 122. *tit.* LXXXIII. &c. Discipulorum ex ore *Hugonis* excepta, aut ex ejus Scriptis carpta temere in chartas conjicientium culpa haec accidere potuere; interim *Oudinum* T. II. *col.* 1142. de tumultuaria *Hugonis* Operum Editione conquerentem non parum fulciunt, neque negligi deberent, si quis unquam de sospitando *Hugone* cogitationem susciperet. Atque huic inquirendum etiam foret, quid censendum sit de reprehensoria illa *Hugonis* ad *Johannem Hispal.* Archiepiscopum *Epistola*, quae in *Codice* nostro *Caput* CXCVIII. constituit, in Edit. vero T. III. L. I. *Miscell. cit.* p. 119. *tit.* LXXX. legitur. Si enim Scriptores *Hispanos* apud *Floresium España Sagrada* T. IX. *en Madrid* 1752. p. 241. 4. consulas, neque tempora *Hugonis* et *Johannis* rite congruunt, neque is fuit *Johannes*, qui reprehensionem ejusmodi mereretur.

VII. *fol.* 190. p. 2. *Incipit soliloquium Hugonis.* Alias *de Arrha Animae.* Deest Prologus ad Canonicos in *Hamerisleua.* Initium: *Loquar secreto anime mee* &c. ut Edit. *cit.* T. II. p. 223. et nobis alibi hoc *Vol.* II.

VIII. *fol.* 199. *Incipit ysidorus Sententiarum de Summo bono.* Saepe et hoc et superiore *Vol.* relatus, ut *Indices* docent. Quemvis III. *Librorum* praeit suus Elenchus *Capitum*, qui etiam hic non semper cum Edit. *Paris.* 1601. p. 617. consentit. Etiam hic L. I. adjectum est *Caput* 31. *de Poenitentibus*, quod re ipsa est *Caput* 16. L. II. *de Eccl. Officiis* edit. *cit.* p. 604. *Capite* I. pro: *deserente Deo* habet *deserto Deo;* ubi Edita legunt: *ab ipsa tamen æternitate* omittit inutile *tamen*, et pro: *quæ ordinata sunt in Deo*, ponit *ordinate*, quod cum praecedente *inordinate* melius congruit. Ita Codicem hunc non negligendum vides. Init ille: *Summum bonum Deus est* &c. et exit: *celestis aula letificandos includit. Explicit liber sententiarum S. ysidori episcopi. 1434. festo S. Georij.*

IX. *fol.* 249. p. 2. *Incipit Liber Soliloquiorum Sancti Ysidori Episcopi.* Praeit Argumentum, quod habes emendatius edit. mox *cit.* p. 305. Dein Praefamen illud: *Uenit nuper ad manus meas quedam Cedula Ciceronis* &c. de quo egi *Vol.* I. P. I. *col.* 981. Dialogus ipse non in II. Libros distinctus, sed in multas Rubricas incipit: *Anima mea in angustijs est* &c. finit: *Tu mihi super uitam meam places.* 1434. et ad emendanda Edita valet. Ita mox initio, ubi *Dubreulius* legit: *tanti doloris non invenio argumentum. Luendæ calamitatis indicia non comprehendo;* repone: *Tanti doloris non invenio argumentum euadendi. Calamitatis indicia non comprehendo* &c.

X. *fol.* 265. Sermo ἀνεπιγραφος, qui incipit: *Beatus apostolus tempora ista, quando futurum erat, ut omnes gentes in deum crede-*

rent